



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

129 Nulli quavis in dignitate fulgenti licet facere quaestus absque licentia
Pontificis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

beratione omnes, & singulas indulgentias, etiam perpetuas & peccatorum remissiones fabricæ, & ecclesiæ huiusmodi, necnon Sancti Joannis Hierosolymitani, etiam pro constructione, & ædificatione illius novæ civitati prædictis, in quibusvis alijs hospitalibus, monasteriis, ecclesiis, domibus, militiis, Ordinibus, etiam mendicantium congregationibus, confraternitatibus, & pijs locis illorumque Ordinibus, capitulis, conventibus, magistris, Superioribus, & tam secularibus, quam quorumvis, etiam mendicantium Ordinum regularibus personis, tam singulariter, quam universaliter, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam
 12 motu proprio, & ex certa scientia, ac ex quibusvis, etiam urgentibus causis, etiam causa redemptionis captivorum, & alias quomodolibet concessas, pro quibus consequendis manus sunt porrigendæ adiutrices, & quæ quæstuarii facultatem quomodolibet continent, illarum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præsentibus pro expressis habentes auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò revocamus, Et insuper perpetuò hac nostra valitura constitutione decernimus, quòd ex nunc de cetero sub indignationis nostræ pœna,
 130 prætextu indulgentiarum, & facultatum per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem Apostolicam, etiam motu simili, ac Sedis Apostolicæ legatos, & alios quomo-

dolibet concessarum, & quas à nobis, & Sede prædicta in posterum verbo, literis, aut quavis alia scriptura, etiam manu nostra signata, etiam cum clausula, quòd sola signatura sufficiat, etiam in favorem, aut Cruciatæ Sanctæ, vel cuiuscunque alterius piæ causæ etiam privilegiatæ, concedi quomodolibet contigerit; & nullus, quavis etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, aut majori dignitate, etiam Cardinalatus honore, seu etiam Regali, vel temporali excellentia præfulgeat, audeat, vel præsumat quæstus facere aut nuncios quæstores, commissarios, thesaurarios, receptores pro illis recipiendis in dictis hospitalibus, ecclesiis, domibus, monasteriis, militiis & alijs supranominatis, vel pro eis, aut illorum nominibus alibi constituere & deputare, nisi ex speciali licentia, & ex certa scientia nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis, de qua per litteras nostras, & ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis locorum Ordinariis, vel eorum in spiritualibus Vicariis, seu officialibus derogationem præsentis nostræ constitutionis illius tenore de verbo ad verbum inserto expresse continentis: Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane quidquid fecus super his à quocunque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, constare debeat.

Mandantes & in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Prælatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in civitatibus, & diocesis suis præsentibus nostras litteras publicare, & observa-

H h h h 2 re de-